NOBILISSIMI

DOMINI, DOMINI KEITHI, HÆREDIS COMITATVS MARTIALIS, ET LECTISSIMÆ Dominæ Mariæ Areskinæ filiæ *Illustrissimi Comitis Marriæ*

EPITHALAMIVM.

EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERTVS CHARTERIS
Typographus Regis. MDCIX.

Cum Priuilegio Regiæ Maiestatis.

BODLEIANA BIBLIOTHECA

NOBILISSIMI DOMINI, DOMINI KATHI, HÆREDIS COMITATVS MARTIALIS, ET LECTISSIMÆ Dominæ Mariæ Areskinæ filiæ *Illustrissimi Comitis Marriæ*

EPITHALAMIVM.

HActenus immemori cecinistis carmina genti
Aonides, comitem vestro cum munere vestrum
Dedignatę animis, & iniqua lance labores
Pensanti: signis fulgentia castra sequentes,
Et quæ diversas miscent commercia gentes,
Altaque sollicitant certantibus æquora remis,
Artificumque cohors operum studiosa suorum
Præmia digna ferunt, merita cum laude laborum,
Qui nitidas penetrant aulas, & limina regum,
Insani qui verba fori, vel jurgia vendunt,
Qui medicas adhibere sciunt in vulnere dextras,
Quosque juvat varias rerum cognoscere causas,
Quique tegunt versa cerealia munera terra,
Optatum capiunt maturo tempore fructum:
Hinc patriam, charosque sibi, parvosque nepotes
Sustentant, festique dies celebrantur in annos:
Ardua velantur festa cum tempora fronde,
Pacatam degunt læta inter pocula vitam:
Nos quibus ingenium, quis mens divinior, ore

Quis datur exigua interdum maiora fonare,
Qui damus æternum populis mortalibus ævum,
Dignum laude virum cæloq; æquamus, acuta
Voce lyræ domitare tygres, lenire folemus
Sylveſtris poſita ingenij feritate leones,
Præceptiſque animos hominum formamus amicis,
Dulcibus eloquijs aures mulcemus amantum,
Carmine qui ſuperos placamus, carmine manes,
Dum bibimus ſacros ſitienti fauce liquores,
Caſtaliæ dum rura choro celebrata canoro,
Veſtraque Pierides pia caſtra ſequenda putamus,
Præteritum illecebris malecauta fefellimus ævum
Turba, nec arte famem veſtra compeſcimus egram,
Nudaque cum tremulo quatiuntur frigore membra,
Se relevare fuga cupiunt faſtidia noſtri,
Cogunturque alio patriam ſub ſole jacentem,
Et monitu arcano peregrinas quærere terras.
Hæc licet incuſes juſtis male grata querelis
Tempora cum paucis: Non eſt onerosa noveni
Sors fugienda chori tamen aut facer impetus illæ
Corda fovens vatum, Phœbæi aut conſcia magni
Numinis humanas divina Poetica mentes
Alta ferens liquidi ſecum in palatia cæli:
Hęc dea Pieridum conſors veteris beneficij
Poſcit apud memorem ſtet gratia, præmia ſolvi
Altrici domui, meritas gratesque rependi.
Quo rapis attonitam pietas temeraria mentem?
Vnde animo tanti ſurgunt trepidante tumultus?
Parturiunt aptum genti præcordia munus
Debita nutrici tanquam nutricia noſtræ,
Concipiuntque iterum numero pia verba canoro,
Carmina quo fundant nullo interitura ſub ævo.

Ergo

Ergo age quò pietas, quò mens, quòve entheus ardor
Præcipitemque furor raptat, quò vota sequamur.
Principio casti causæ memorentur amoris,
Dulcia quò veterum valeant insomnia vatum;
Vt Venus, & teneræ Veneris comes agmen amorum,
Et toties clamatus Hymen, & pronuba Iuno,
Vulnere lædentes cæcoque Cupidinis arcus,
Terrarum cælique fator discordia rerum
Semina qui stabili coniunxit fœdere, cœlum
Iusserat in steriles genitalia semina campos
Fundere, fœcundos dum nubila solvit in imbres;
Vt rerum series, mundi renoveturque ætas;
Alituum pecudumque genus iustos hymenæos,
Lucinamque pari voluit, generando perennem
Quique aliam ex alia statuit soboleſcere prolem,
Ille deus, primos hominum qui sevit amores,
Postmodò cum fuerat iam desultoria certis
Legibus astrinxit Venerem, quòpignora quisque,
Quique suos habeant affectus, quisque propagent
Numinis admonitu cælestis semina cœtus,
Ille opifex, hominum divûmque æterna potestas,
Marte satum Iuvenem præacuta cuspide figens,
Sollicitam grato turbavit vulnere mentem.
Ex illo est imis quàm subdita flamma medullis,
Haud vlli incumbens vnquam vehementior ignis
Arserat, accendens infusa lampade pectus.
Quid melius casta quam lampade pectus aduri?
Et grato optatæ sociari lumine sedæ?
Gentis & humanæ lapsæ satcire ruinas?
Cum velit hac dominus damnum ratione rependi
Naturæ, instaurans sobolem, supplensque creando,
Et stabilem figens rerum in longeva tenorem

Secula, dum pleni perfecto tempore orbis
Aurea progenies cœlo delapsa, tot annos
Quæ coluit terras hospes, peregrina relinquat
Hospitia, & patrij contingat limina cœli,
Illa, dei est semen, soboles prognata pudico,
Legitimoque thoro, cœli indulgentia donis
Quem beat, hæc nulli Venus est obnoxia culpæ
Cum fit iusta, modum statuens si debita, servet.
Terra ferax frugum fœtiles vt vincit arenas
Laude, infelicem pomis vt fertilis arbos
Virgineo potior sic est fœcunda pudore
Conjunx: famosæ vitentur retia mœchæ
Sæpius est illis corrupta dolore voluptas,
Haud metuunt sacri genium qui temnere fulcri.
Quæ vis diluvio miscens effudit in æquor
Tellurem? depsos demisit ab æthere nimbos?
Cæruleumque Iovis fratrem auxiliaribus vndis,
Et fluvijs amnes laxas immittere habenas,
Impulit? vt genus everrant mortale virorum,
Et pecudum, gentem volucrum, tot fœcla ferarum:
Sternantur messe fœgetes, labor irritus anni
Vt pereat, cupidi jaceant pia vota coloni:
Obruat vnda suis magnas cum mœnibus vrbes:
Quæ nisi luxuria & Veneris resupina voluptas
Impuris illapsa animis, caligine mergens
Pectora, blanda quidem vultu, damnosior omni
Peste tamen fucata genas, sed amicta colubris:
Hunc gelidis dominus restinxit fontibus ignem
Pectore conceptum: sublimes fregit Athenas
Turpe malum, hoc altæ cecidêrunt mœnia Spartæ:
Assyrio regni sceptrum sic Medos ademit
Sic rapit a Medo rerum moderamina Perses:

Per-

Perfida subiecit pedibus Macedonia, Romæ
Terrarum dominæ tandem Macedonia cedis.
Sic Deus horrendos infesti fulminis ignes,
Flammarumque globos commistos sulphuris imbre
Desuper infudit diræ super agmina gentis
Hamoræ, Sedomique, simul periere nefandæ
Cum populis vrbes, campi periere iacentes,
Fulminea decussus honos nemorumque procella,
Cœlitus in flavam ruerant incendia messem.
Tum face tum ferro Gibeæ cecidere coloni,
Dum venerem rapta Leviræ in coniuge complent
Funera perque vias, & relligiosa dedere
Limina, perque domos, iuvenumque senumque coronæ
Hostiles; plenis iacuere cadavera campis
Præda lupis; tanta hæc clades miseranda vel hosti!
Cur toties Troiæ sudarunt dira cruore
Littora? cur rapidis arserunt Pergama flammis?
Tyndari Dardaniæ damno formosa fuisti;
Et Paridis patriæ fecere incendia flammæ.
A vitiis animi dociles revocantur amore
Numinis, Ille pijs metuenda pericula præstat:
Excubat his dominus, quibus est in honore, videtque
Ne titubent dubio plantæ per lubrica lapsu:
Sic datur ardenti thalamus medicina furori;
Concubituque vago indomitam prohibere iuventam
Vult Deus hæc mandans in fœdera sancta venire.
Ergo age flos generis viridanti in flore iuventæ
Ætheris imperio parens, pia iussa facesse:
Iunge thorum, lætus fugientibus vtere donis,
Dulcia cùm dominæ dexter connubia vultus
Annuat, ut tantæ detur tibi copia noctis.
Tanta quidem paucis concessa est gratia, multis
Tam facilem sentire deum, numenque benignum

Haud poterant: cœlo adverſo, fatoque ſiniſtro
Tempora triuere meaſſum, blandumque laborem.
Retia venantum ſic præda petita fefellit
Sæpius, optatum nec arundo educere piſcem
Quiuit, & infauſto mercator cærula tentans
Sidere, mutatas merces jactantibus vndis
Nudus in ignota iacuit ſic naufragus acta.
Non Arabum gaze, conuictus, copia landi,
Formaq; cupidineæ quamuis ſint maxima flammæ
Cauſa, tamen poterunt tam devincire tenaci
Corda hominum vinclo, quam quod diſpenſat amores
Cuique ſuos fatum, fato tua vota ſecundo
Martia progenies implevit ab æthere Numen;
Cum det vt amplexu tandem potiare petito.
Ille per invitas tentans proficiſcier vndas
Quò proprior Iuvenis, flamma propriore calebat.
Cujus & incæptis obſtans audacibus æquor
Intepuit, non tam thalamos ſperare potentes
Auſus, Abydenus Seſta ſe efferre puella
Gaudet, & æquales tedas ſortemque tueri.
Nec qui fatalem Myrtilli fraude parenti
Duxerat Hippodamen; nec forti Ixione natus
Pirithous chara vitam pro conjuge pactus,
Hoſtibus eripuit talem virtute peremptis:
Nec talem Herculei poterant meruiſſe labores,
Si genus, & formam ſpectes, caſtumque pudorem,
Egregium formæ decus eſt, cui tanta parentum
Gloria, tantus honos magnorum certat avorum.
Quid memorem a proavis demiſſum ſtemma paternis?
Aut genus è claro maternum ſanguine regum?
En potius ſine labe domus ab origine dotes,
Conſilio virtus duris innixa periclis,

Miſta

Mista fides pura pietate, modestia regum
Inter opes animo victa, mens nescia fraudis,
Regibus obsequium gratum, studiique fidelis
In patriam officium, quæ tot jactata procellis,
Ceu ratis, hunc portum quoties intravit amicum,
Perfugij sensit toties tot commoda tuti,
Principe cùm puero rerum moderatur habenas.
Hos generum affines nunquam coluisse pigebit,
Nullorum affines scelerum, quæ limina regum,
Quæ populi fasces, luxus, quæ purpura secum
Ferre solent, lateque patens longèque potestas.
Sic eat, his nullo crescant cum fine per ævum
Præmia virtutum tantarum è fonte perenni
Manantum vitæ, radianti & lumine solis
Iustitiæ, inductas animis splendore tenebras
Qui fugat, & veris mentes virtutibus implet,
Cuncta simul spondens præsentis commoda vitæ,
Omnibus ampla pijs patrij ceu pignora cœli.
Nunc age tot cumulata bonis, tot sæpe malorum
Pondere pressa domus, tot denuò libera damnis,
Ne tibi apud dominum languescat gratia, dignas
Pende deo grates, deferque referque parenti
Ætherio bona cuncta tuo, meruisse negabis:
Nec levibus rebus, titulis nec nixa caducis,
Siste deum, ut privam patrimoni in sæcula sortem.
Tu quoque virginei flos intemerate pudoris,
Quem blanda a cunis mulcebat numinis aura:
Iustitiæ teneros cuius sol roborat annos:
Educat emissæ vocis quem cælitus imber,
Secretò ut septo nascentem molliter horto:
Sponte tuæ cedant vt victa rosaria formæ
Virgineę, & Pario formatum marmore signum:

Quamvis ceu gemmarum splendescant lumina sidus,
Sic Venus alma manus tulerit, sic Delia crines,
Gemmataque comæ fulvum nodentur in aurum,
Candorem vincant vt eburnea colla nivalem,
Oraque punicels rubeant ceu candida multis
Lilia mista rosis, rapido ferventius amni
Sit licet ingenium, & cunctis mirabilis vna
Indole sis mira, fuerit tibi turba procorum
Sollicitans veterum cessantem, capta futuri
Coniugij spe sæpe tui, quæ spe excidit omni,
Ne tamen assimiles Iuvenem, cui gloria formæ
Igne cupidineo proprios ardebat in artus,
Fonte reperta fuit dum pulchra tuentis imago,
Coniugis officijs sanctis coluisse fidelem,
Et probitate pari ne dedignere maritum
Non genus indecorem, non formæ, aut laudis egentem,
Qui te vnam cunctas inter miratur, & ardet,
Nominis & famæ accitus suspirat in vnam,
Vidit & ante tuos animo, quam lumine vultus,
Nunc oculis animoque tuo qui pendet ab ore,
Et tibi se soli, & teneros iam devovet annos,
Par tibi connubium maturo est tempore partum,
Huc te fata vocant, huc dulcis cura parentum:
Otia quò blandæ demantur longa Iuventæ:
Namque nocere solet graviter mora tarda paratis:
Optima quæque dies non est revocabilis ævi
Cum fugit, & segnes cùm serior opprimit ætas
Præteritos mœrent annos non posse referri.
Ergo age iunge toros, divini ut præmia cernas
Numinis, & multa florentes prole penates.
Nam veluti sterilis surgit sine palmite truncus
Plurimus, & iuncta vitis requiescit in vlmo,

Sic erit infelix ſtratis ſine conjuge lectus,
Sponſa viri blandis placideque quieſcat in vlnis.
Quod ſupereſt, in quę paribus vos legibus ambo
Fœdera veniſtis, maneant æterna, ſuoq;
Quam fieri voluit confirmet numine pacem
Ille deus, quocunque cadent res, nulla volentes
Vis vnquam avertat vos æquo fœdere amantes.

SVPERIORIS EPITHALAMII BREVIS EXPLANATIO.

Hactenus) exordium querimoniam habet de miſera conditione eorum qui muſas ſectantur, quod cum plerique omnes aliarum vocationum labores mercede merita dignentur, ſola Poetica muſicæ pars primaria premio ſuo fraudetur.

Hæc licet) ad hanc querelam reſpondent Muſęs non ideo cum Muſis poeticam deferendam eſſe, nunc præſertim cum deceat alumnum domum altricem grata memoria proſequi.

Quo rapis) Enthuſiaſmos eſt, vbi jam Muſæ Comiti ſuo animum reddiderunt.

Principio) primaria cauſa efficiens huius matrimonij deus ipſe eſt, non fictitia illa numina Poetarum monumentis tantopere celebrata.

Quid melius) laus matrimonij a fine, cuius legem idcirco hominibus impoſuit deus, primum, vt inde membra eccleſiæ in terra hoſpitis, ad conſummationem vſque mundi propagentur: Ideoque matrimonium cœlibi vitæ anteponitur: deinde vt adulterium vitetur.

Quæ vis) ad majorem conjugij cõmendationem faciunt horrenda hæc exempla Iudicij divini adverſus omnem carnis.

impuritatem, & eos potissimum, qui fidem coniugi datam fallere non verentur.

A vitijs) pij omnes, quibus deus est in amore, ab his scelestibus deterriti remedium a deo comparatum amplectuntur.

Ergo age) hortatio ad sponsum pertinens, vt illud coniugium libenter ineat, quod tum deo propitio, tum fato secundo ei obtigerat, in quo maior vis inesset ad copulandas amantium voluntates, quam in quinque illis, quas dicunt, lineis amoris.

Ille per invitas) hæc exempla virginum primariarum, pro quibus amantes sese in vitæ discrimen intulerunt, ad sponsæ laudes pertinent, vtque illas tum animi & corporis dotibus, tum genere & nobilitate facilè vincat.

Sic ait) beneprecatio, vt cum domus hæc a potentum virijs alienata, multiplici virtute inbeta sit, deus eam magis magisque omni benedictionum genere cumulare dignetur.

Nunc age) hortatio est vt domus hæc grato animo bona sua deo accepta referat, nec tam donis, quam deo datore lætetur.

Tu quoque) hortatio ad sponsam spectans, vt modestè de se, & naturæ bonis sentiens virum sibi a deo & parentibus datum benevolè amplectatur.

Quod superest) conclusio beneprecationem habens, vt deus hanc piam pacem & fœdus coniugiale, quorum ipse author est, vtrique in perpetuum confirmet.

FINIS.